

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis XVIII. De summa symboli, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CATECHESIS XVIII.

De summa Symboli & My- sterio Sanctissimæ Trinitatis.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quæ est summa omnium duodecim Artic-
ulorum Symboli Apostolici?
2. Quid igitur est Sanctissima Trinitas?
3. Annon Mysterium captu difficile?
4. Quæ cuius Personæ adscribuntur Proprietates?
5. Quanam verò Operationes?

MISCELLANEA.

An quælibet Persona DEUS?

Annon ergo tres Dij?

An nulla Persona antiquior?

Quæstio Prima: Quæ est doctrina summalis
omnium duodecim articulorum Symboli Apostoli-
ci?

R. Ut quivis Christianus corde credat, &
corde confiteatur, esse unum Deum in Natura, sed
Trinum in Personis, nempe Deum Patrem rerum
omnium Creatorem: Deum Filium, mundi Re-
demptorem: Deum Spiritum Sanctum, Consola-
torem omnium fidelium Christianorum, quos in

Q. 1.
Quæ est
summa
omnium
duode-
cim arti-
culorum?

Esse Deum
unum &
trinum
in Perso-
nis.

vera Catholica Ecclesia sanctificet, atque per ordinata media beatificet. Canisius.

Vel esse
Deus
unum &
trinum;
à quo
omnia
habea-
mus.

Vel. Ut credamus & confiteamur primò, unum Deum in natura, & trinum in personis, adeoque S. Trinitatem. Secundò, ut credamus & confiteamur bona cuncta, quæ habemus, ab hac ipsa Sanctissima Trinitate nos habere, nempe à Patre creationem, à Filio redemptionem, à Spiritu Sancto sanctificationem.

Sic doce-
bant A-
postoli.

Hæc igitur Charissimi bina quasi capita, & scopus omnium videntur esse articulorum, eadeoque ab omnibus ita necessariò scienda, ut ea ignorantibus saltem in lege gratiæ spes salutis sit accisa. Unde ipsi Apostoli ante omnia docebant fideles Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, qualiter nempe Deus Pater miserit Filium suum, qualiter Dei Filius virtute Spiritûs Sancti conceptus, natus, &c. Quod sine fide in Sanctissimam Trinitatem credi non poterat: id ipsum Mysterium docebant baptizandos ante baptismum. *Matth. 28. v. 19.* Parètque ex continuato inde Ecclesiæ usu, quæ neminem baptizat adultum, qui non id expressè credat & confiteatur; infantium verò loco confitentur Patrini, juxta Rit. Rom. ubi à Patrinis verbalis confessio exigitur; quare rudibus hoc mysterium identidem inculcandum, & affectuosæ meditationi præfigendum; in quorum etiam gratiam sit.

Quæ-

Quæstio Secunda: Quid igitur est sanctissima Trinitas?

Q. II.
Quid est
SS. Trinitas?

R. Ipse tres Personæ Divinæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, qui tanquam, cum sint unus Deus, uno nomine sanctissima Trinitas appellatur.

Suprà art. 1. dixi, necessariò esse ens à se, idest Deum, qui, cum infinitè bonus sit, infinitè est diffusivus sui, non productione creatâ, quæ respectu Dei nihil est, sed increatâ: perfectior autem productio est, quæ manet in producente. Quo fit, ut Pater perfectè seipsum, & omnia intelligendo, infinitè perfectum producat Verbum, seu Filium, & hi infinitè se amando Spiritum Sanctum, quorum tamen nullus sit extra alium, sed omnes tres Personæ in una eadèmq; simplicissima natura conveniant. Hem Mystèrium ineffabile sanctissimæ Trinitatis!

Ergòne quælibet Persona Deus?

An Quælibet Persona, Deus?

Omninò, quælibet, quia quælibet infinita, æterna, &c.

Annon ergò tres erunt Dij?

Annon ergo tres Dij?

Non tres, sed unus Deus, quia dictæ Personæ unam tantùm habent essentiam, seu substantiam. Sicut si Abraham, Isaac, & Jacob, unum haberent corpus & animam, seu unicam naturam humanam, non tres, sed unus homo foret, quod tamen

men in natura humana limitate fieri nequit; fit tamen in Divina infinitè perfecta.

An nulla
Persona
anti-
quior?

Ergone nulla Persona antiquior? prior?

Nulla est prior prioritate durationis, sed tantum originis, sicut Pater est origo Filij, non tamen antiquior, quia uterque ab æterno, &c.

Sapien-
tior?

Ergone nulla sapientior, melior? &c.

Nulla, cum enim eandem omnes habent substantiam, ejusdem quoque omnes obtinent perfectiones, unam nempe infinitam bonitatem, immensitatem, scientiam, &c.

Indica-
tur hoc
Myste-
rium in
Scripturis.

Indicatur hoc Mysterium variè in scripturis. Faciamus hominem *Gen. 1. v. 26.* Descendamus & confundamus. *Cap. 11. v. 7.* In principio creavit Dij, *Elohim. c. 1. v. 1.* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, *Is. 6. v. 3.* Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. *1. Joan. 5. v. 7.* Ego & Pater unum sumus. *Joan. 10. v. 20.* Qui vider me, vider & Patrem meum. *Joan. 14. v. 9.* De eodem fusius agit S. Athanasius in suo symbolo. Et licet expressè in sacris scripturis de hoc Mysterio non ageretur, indicatur tamen & revelatur per Verbum Dei non scriptum, id est, testimonium Ecclesiæ, Sanctorumque Pa-
trum,

trum, ut in Concilio Nicæno, &c. Quod ad perfectam fidem sufficit. Sed

Quæstio Tertia. Annon est captu difficile Mysterium hoc? quæ videlicet tres Personæ sint unus Deus?

R. Omnino, in vita hac est nobis imperceptibile, nec tamen necessum est in capere, sufficit humiliter credere, & totâ devotione venerari.

Omnium Mysteriorum hæc natura est, ut mirabilia sint, & supra sensum, sed certâ solâque fide credenda: in Coelis tandem cuncta hæc videbimus, prout sunt, cum immenso utique animæ nostræ gaudio; sicut cæcus natus multa credit, quæ narrantur à fide dignis, etsi illa comprehendere nequeat. Cat. Rom. Art. 1. p. 10.

Conantur quidem hoc grande Mysterium similitudinariè demonstrare in sole, cum venia tamen, quia nihil Deo comparabile. Sicut sol non liberè, sed necessario generat radium, ita Pater non liberè, sed naturaliter producit Filium; & sicut à sole & radio producitur calor, ita à Patre & Filio producitur Spiritus Sanctus; ecce ergo symbolum sanctissimæ Trinitatis, sol, radius, calor: rursus sicut sol producendo radium, non est prior radio, & hi non priores calore; ita neutra Persona est alterâ prior prioritate durationis, sed tantum

Q. III.
Annon
captu
difficile
Myste-
rium?

Similitu-
do in so-
le.

tum originis; denique sicut tot semper generat radium, & hi unà calorem, ita Pater semper generat Filium, & una hi spirant Spiritum Sanctum, nec ullus unquam ab altero separatur. *March. art. 1. lect. 2. prop. 2.* Alij à similitudine arboris. Arbori esse radicem, truncum, & rami, & tamen unicam esse arborem constat.

Arbore.

Aqua. Alij ab aqua. Aquæ esse scaturiginem, torrentem seu fluvium, & stagnum, unicam tamen esse aquam novimus.

Verum, ut dixi, hæc & alia similitudinariè tantum; quia naturaliter cognoscinequit Mysterium sanctissimæ Trinitatis, sed tantum per revelationem Divinam. Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. *Matth. 11. v. 27.*

Nec minùs illud mirabile, quòd cuius Personæ Divinæ specialis adscribatur proprietas, & operatio, & tamen omnes tres Personæ, id est, tota sanctissima Trinitas omnia simul operari dicantur, ut jam declarabitur.

Q. IV. Quæ cuius Personæ proprietates tribuntur?

Quæstio Quarta. Quæ ergò cuilibet Personæ attribuuntur proprietates?

R. Patri Omnipotentia, Filio Sapientia, Spiritui Sancto bonitas,

Ex quo tamen non sequitur Omnipotentiam Filio & Spiritui Sancto communem non esse: quemadmodum enim Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, ira æquè Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum omnipotentem, sapientem, bonum esse confitemur: idcirco autem Patri specialiter adscribitur omnipotentia, quia est origo omnium; Filio sapientia, quia est Verbum Patris, Spiritui sancto Bonitas, quia utriusque amor est: ut Sup. Dict. Art. 1. Q. 11.

Quæstio Quinta: *Quenam verò Operationes?*

Æ. Patri Creatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto sanctificatio nostra.

Q. V.
Quæ operationes?

Ex quo itidem non sequitur, solum Patrem creasse mundum, cum à Filio & Spiritu Sancto æquè creatus sit: actiones quippe ad extra omnibus Personis sunt communes; tribuitur tamen Patri creatio, tum quia hæc est effectus omnipotentiae; tum quia cum primum sit beneficium, meritò primæ Personæ tribuitur. Filio incarnatio, quia ipse assumpsit naturam humanum. Spiritui Sancto sanctificatio, quæ effectus est bonitatis, ex infinita enim sua bonitate gratias nobis largitur, quibus iusti, sancti & beati efficiamur; ut in Pentecoste paruit, &c.

Mirabi-

Opera-
tiones ad
extra
sunt om-
nibus tri-
bus Per-
sonis
cummu-
nes.

Similitu-
do ab
igne.

Mirabilissimum sanè est hoc Myste-
rium, quomodo cuius Personæ specialis
assignetur operatio, & tamen omnes tres,
idest, tota sanctissima Trinitas omnia si-
mul operari dicitur. Conantur id simili-
tudine ignis explicare, ubi in una substan-
tia tres diversæ exhibentur operationes;
adeo ergo substantia ignis, in qua tria re-
periuntur diversa; flamma, fulgor, & ca-
lor, quorum etiam quodlibet diversum
operatur effectum, calor quippe calefacit,
fulgor splendet, flamma urit, nec calet
splendor, aut splendor calefacit, & tamen
hæc omnia simul unus atque idem opera-
tur ignis; unus & idem numero ignis
fulget, calet & urit: sic tres confitemur
Personas, Patrem, qui creavit nos, Fi-
lium qui redemit nos, Spiritum Sanctum,
qui sanctificavit nos, & tamen unus est
Deus, qui creavit, redemit, & sanctifica-
vit nos.

RECAPITULATIO.

HÆc de summa & scopo totius Sym-
boli Apostolici. (1.) Ut quisque unum
Deum in natura & Trinum in Personis
credat & confiteatur, adeoque Myste-
rium Sanctissimæ Trinitatis: insuper &
omnia nos ab illo habere bona, Creatio-
nem à Patre, &c. (2.) Dicuntur autem
Sancti

Sanctissima Trinitas eæ ipsæ Personæ Divinæ, quatenus unus DEus sunt; quatenus, inquam, tria unum sunt. (3.) Est Mysterium captu impossibile, idcirco sufficit credere (4.) Adscribitur Patri Omnipotentia, Filio Sapiëntia, Spiritui Sancto Bonitas. (5.) Sicut & Patri Creatio, Filio Redemptio, Spiritui Sancto Justificatio & sanctificatio nostra.

EXHORTATIO.

Discimus hic Charissimi primò, in obsequium fidei & reverentiam Sanctissimæ Trinitatis intellectum captivare, nec tantum Mysterium curiosius scrutari: Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. *Is. 38. v. 14.* Nihilominus ea, quæ de hoc Mysterio, suæque incomprehensibili essentia revelare dignatus est, studiose & humiliter meditari, cum id scopus & beatitudo sit omnis creaturæ rationalis, meliusque per fidem licet obscuram, & aliquantulum sit cognoscere Mysterium istud, quàm omnis omnium sapientum scientia naturalis. Non verearis illud, quod scriptura minatur scrutatoribus Majestatis: Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à Gloria. *Proverb. 25. v. 27.* Qui scilicet proprio nititur ingenio: tantum offert purum & simplicem oculum, non

Discimus 1.
credere,
non scrutari hoc
Mysterium.

tuam, sed Dei gloriam quærendo. *S. Bern. serm. 62. in Cant.*

2. Crebrò
humilli-
méque
adorare
SS. Trini-
tatem.

Discimus secundò, crebrò humillimè-
que adorare Sanctissimam Trinitatem per
fidei, spei, & charitatis actus. Benedica-
mus Patrem & Filium cum S. Spiritu; te
invocamus, te laudamus, te adoramus,
O Beata Trinitas! spes nostra, salus no-
stra, honor noster, O Beata Trinitas! san-
ctus, sanctus, sanctus Dominus Deus, &c.
Gloria Patri, &c. Aliam praxim vide *inf.*
in hyst.

3. Illi soli
adhærere,
servi-
re, &c.

Discimus tertio denique, illi soli ad-
hærere, placere, ad eum per intentionem
bonam, omnia cogitata, dicta, facta dirige-
re, tanquam ad unicum summum bonum
nostrum. Anima! nonne melius tibi est,
amare unum, sed summum, sed maxi-
mum bonum, quàm multa parva bona,
& inordinato eorum amore amittere illud
unum, quod necessarium est, ac solum
sufficit? *Abbas Pius in Tricenario.*

HÆRETICI.

Nomen
Trinitatis
expunxit
Lutherus.

Vocem Trinitatis sustulere Lutherus in
Postilla majori, & Calvinus *l. 1. c. 13.*
At eo usi sunt Cyprian. Ambr. Hilar. Hie-
ron. Augustinus.

Obijc. Non invenitur hoc Nomen in
scripturis.

Re. Nec

Cat. XVIII. De summa Symboli, &c. 595

R. Nec inveniri vocem Incarnatio,
Consubstantialitas, non tamen exinde
Christum non incarnatum, &c.

Contra Filij Divinitatem

Filij Divi-
nitatem
impugna-
vit Arius.

Obijc. Arius. Vado ad Patrem, quia
Pater major me est. *Joan. 14. v. 28.*

R. Christum hic de sua humanitate,
non Divinitate loqui; ad Patrem quippe
ivit ut homo, non ut Deus, qualis à Patre
nunquam discessit. Ad hæc Christum Dei
Filium, Dei sapientiam, veritatem, lu-
men esse fatentur, ergo Pater non erat
prior, quando enim is erat sine Filio? sine
sapientia? sine lumine? &c.

HISTORIÆ.

MYSTERIUM Sanctissimæ Trinitatis me-
ditabatur frequenter & devotè B. Cla-
ra de Monte Falconis; unde post mortem
inventi sunt circa cor illius tres globuli
ejusdem magnitudinis, instar nucum,
ejusdem ponderis, & coloris, & unus
tantum ponderabat, quantum alter, &
unus quantum alij duo. *Sur. 17. Aug.*

Mysteriū
SS. Trini-
tatis me-
ditabatur
B. Cla-
ra, &c.

S. Augustinus dum ad litus maris
grande hoc meditatur Mysterium, vidit
Puerulum cochleari aquam de mari in
parvam fossam transfundentem & dicen-
tem: Volo istud totum mare exhaurire,

Et S. Au-
gustinus.

& isti fossæ infundere : quî verò hoc erit possibile ? inquit Episcopus ; Citiùs , reponit puer , quàm tu sanctissimam Trinitatem comprehendere libro , quem meditaris. *Cantip. l. 2. c. 48. part. 3.*

Illud defendit
Hyacinthus Diaconus.

Post multam concertationem de fide Trinitatis , factam à Catholico & Ariano , in id demum conventum fuit , qui annulum de ferventi aqua illæsum eduxerit , veritatis defensor foret , falsitatis alter ; quare Hyacinthus Ravennæ Diaconus nudatum mox brachium immisit in bulientem æneum , salvusque annulum extraxit : quod cum & Hæreticus præsumeret , cuncta brachij caro ad ima ossa defluebat. *Flor. Ex. c. 1. tit. 26. n. 1. ex Baronio anno 583.*

Gloria
Patri.

Insignis disputatio de sanctissima Trinitate inter Agilonem Arianum , & S. Gregorium Turon. *ibid. n. 3. & alia. n. 21.*

Ad venerationem sanctissimæ Trinitatis ab Apostolis institutus est versus , Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto : cui Concilium Nicænum addidit , sicut erat in principio , & nunc &c. Ut retunderet Arianos dicentes : Erat tempus , quando non erit. *Baron. tom. 3. an. 25.* Quare cum reverentia & devotione orandus est hic versus.

Dæmon.

Dæmon in habitu Monachi visitabat senem, consulendi & decipiendi gratiâ. Quem cum senex hortaretur, ut ante colloquium, more solito, precibus insisteret, hæc tantum submurmurante audivit: Et nunc, & semper, & in sæcula sæculorum; quare monuit eum senex, ut præmitteret Gloria Patri, &c. Ad quam vocem disparuit. *Sophr. in prat. Spir. c. 119.*

Praxis devotissima recirandi

Coronam minorem ad honorem
Sanctissimæ Trinitatis.

Oratio
Coronæ
ad SS.
Trinitatem.

Post recitarum Credo.

Ad quinque Grana Majora.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictio & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, honor, virtus & Fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Pleni sunt Cæli & terra Majestatis gloriæ ejus.

Ad 33. Grana Minora.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut erat in principio, &c. Si placet, finire rursum potest cum Credo.

In

In Concilio Lugdunensi sub Victore II. contra Simoniam institut^o, cū de eadem accusaretur Archiepiscopus, iussus est à præsīde Hildebrando dicere *Gloria Patri, &c.* Cū igitur expedite diceret: *Gloria Patri & Filio*, proferre Spiritum Sanctum non potuit, quod cū sæpius teneret, nec posset, in genua provolutus confessus est, se Simoniacum; ab officio dein pastoralī remotus, rectè totum versum pronuntiavit. Quo factō territi quadraginta quinque Prælati Simoniaci, spontè honori renuntiârunt.

Baron. Anno 1055.

Catachesium ex temporaneorum in Caput primum

F I N I S.



II.
em
t a
Pa-
ilo-
an-
en-
on-
ein
um
ra-

a-

